



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illustrissimi Domini Simonis De Fierlant, Hispaniarum Ac  
Indiarum Catholico Regi, In Hispania Ac Belgio, A Concilio  
Status, Brabantiae Cancellarii, Catholico Ab Affectu  
Tractatus, Quo, Clarissime ...**

**Fierlant, Simon de**

**Coloniae Agrippinae**

§. 3. Excutitur diligentius hic primus anfractus, & quàm eversivus sit  
Confeßionis pluribus ostenditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37059**

§. 3.

**EXECUTITUR DILIGENTIUS***hic primus anfractus, & quàm everfivus fit  
Confessionis pluribus ostenditur.*

**A**Dsum vobis iterum inconsiderati Sacramenti Pœnitentiæ Reformatores, nec solus, sed utrumque latus iisdem stipatus subsidiis, Franciscum inter & Ulicum medius, egregium illud, & nobile Theologorum par mecum in arenam reduco.

Iterandæ sunt Confessiones omnes durante consuetudine recidendi peractæ, & tamquam sacrilegæ iterandæ: ita nos §. 1. docebat Gummarus, & erubuisse putem cum talia doceret, docebat tamen; Iterandæ sunt Confessiones durante ignorantia juris naturæ, etiã invincibili peractæ, ita §. 2. docebat Macarius, & ex Gumhari sententia inferebat Ulicus Jonson: non contemnendus cuniculus est, ignoscant mihi quicumque Adversarii sunt, non inanis suspicio est, multum ruinæ Confessionis hic cuniculus minatur, quod ferri non potest onus, excutitur; excutitur jugum, quod tyrannicum est, & frequentes illæ iterationes, & reiterationes Confessionum eò denique pertinent, ut nulla fiat omninò Confessio, ut carnificina fiat conscientiarum, ut in desperationem agantur anxie fidelium mentes.

Gg 2

Audi

Audi Franciscum Simonis : *Scopus* , inquit pag. 26. *dogmatis capitalis* hic est : *Confessio carnificina conscientiarum* , ac denique *desperatio*. Agit autem de peccatis ignorantiae juris naturae : *Scopum hunc videbis* , si attenderis ; primo , *Confessiones ejus hominis* , qui peccavit olim ignorans , omnes fuisse irritas , & sacrilegas durante ignorantia , adeoque iterandas : in hac vero iteratione , si confitentem fugerit circumstantia , quam postea discat graviter adversari legi naturae , rursus iterandas esse omnes , & sic porro : Secundo , neminem quantumvis doctum , aut sanctum , sibi persuadere posse , se depulisse ignorantias omnes juris naturae tam varii , tamque implexi in tanta varietate materiarum , Iustitiae , Caritatis , Religionis , Castitatis , aliarumque virtutum : adeoque neminem sibi posse persuadere , nullum superesse istius generis peccatum sibi expiandum. Nulla diligentia , nullae Confessionum iterationes securum reddent. Nec adhuc potest diglutire hunc bolum , ergo illum iterum masticat in supplicatione ad Pontificem Maximum pag. 28. *His paucis animum advertat* , tua Sanctitas , is qui olim ex invincibili ignorantia ( quae tamen absolute vinci possit , saltem per gratiam , & hoc sensu sit vincibilis ) peccavit graviter , extra Dei gratiam vixit , quamdiu deinde in ignorantia vixit : Confessiones iterandae omnes ; si quid postea novi discat hujusmodi peccati olim commissi , nihil actum iteratione illa Confessionum , iterandae rursus omnes. Si quid ignorantiae , ex qua olim peccavit graviter , adhæreat usque ad

ET INFELIX CONCORDIA. 237

ad mortem, supplicii destinatur æternis luenda illa omnis peccatorum series, Confessiones sacrilegæ, cæterorumque usus Sacramentorum, tot sacrilegiorum reus. Iudicet tua Sanctitas an aberraverim, scopum dogmatis designans Confessionem carnificinam conscientiarum, ac denique desperationem: eadem inculcat, repetitque pag. 33. & alibi: usque adeo digeri illa satis non possunt Catholico stomacho.

Instat æquè pressè Ulicus Jonson, & eâdem parte Gumarum aggreditur. Pag. 53. audiamus: *Confessiones omnes sunt iterandæ . . . . sed & Confessiones, durante ignorantia iteratæ, rursus sunt irritæ deficiente contritione verâ, quæ haberi non potest, dum ignorantia perseverat (ut supra probatum est) iterandæ sunt igitur iterum, tertio, sæpius, nihil umquam valituræ: en carnificinam conscientiarum. Quæ igitur spes salutis homini miserrimo? eliciat, inquires, caritatem Dei super omnia in gradu quodam perfectissimo: at quæ potest? caritas necessariò includit voluntatem seriam numquam graviter offendendi Deum, quem amat super omnia: caritas autem istius hominis (de quo supra §. præcedenti) involvet propositum committendi fornicationem in iis circumstantiis, in quibus ex ignorantia minimè voluntaria (& invincibili, absolutè tamen vincibili, saltem per gratiam) iudicat se lege caritatis obstringi ad fornicandum, erit igitur caritas illa voluntas peccandi, atque adeo caritas nulla. Quod nam igitur suggeris remedium animarum Medice? nihil ego isti homini superesse video, præter abyssum desperationis,*

*rationis, unde emergat numquam. Expectabo ut suggeras remedium aliquod: haecenus ille; & adhuc expectat patienter, sed expectet licet, nec dum suggerere aliquod dignatus est Gummarus, aut potius ..... nam, jam dixi, quilibet suspicari malim, quàm à superbia rationem tam pertinacis silentii petam.*

Nec prætereundum hîc videtur, quamquam ad sectionem primam propriè id spectet, confectarium aliud de absolutio-  
ne, quod argumento septimo ad hominem pluribus & accuratè prosequitur; hæc summa est; absolutio dari non potest, saltem extra necessitatem, nisi certò moraliter constet de fut<sup>o</sup> senti dispositione pœnitentis; hæc in eo sufficiens non est, nisi adsit sufficiens contritio, nec erit ea sufficiens, quamdiu aderit ejusmodi aliqua ignorantia; debet ergo moraliter certò constare, nullam in pœnitentis animo ignorantiam hujusmodi residere: & quando id constabit? nam an ipse tam temerarius sit Gummarus, ut id de se affirmet? quid tu autem ad hæc Gummare? in tua doctrina vitium est, an in Ulici dialectica? nam ubi tam horrenda confectaria video, in alterutra vitium esse necesse est. Sed frustra est; silentarius nobis factus est Gummarus, tacere certus est.

At non tacebo ego, & jam dudum, opinor, lector, proprium aliquid à me expectes, qui tam liberaliter aliena retuli; ego verò reliquum paragraphi mihi vindico; confectariis jam datis suum pondus adjicio, & periculosum  
cuni-

cuniculi anfractum diligentius perscrutans, per tot tamque frequentes Confessionum iterationes, ad nullam denique iri demonstro, res paulò altius repetenda est.

Res confiteri dura, & grande Confessio onus; quid? superbum, ut sumus, homines genus, & ad propriam attentum gloriam nos accusare ipsos? deque occultis, & infamibus prorsus criminibus accusare? quod in equuleo tormenta inter & minas non manifestaremus, id sponte & liberè homini alteri proderet? quæ in nobismetipsis erubescimus facta, quorumque adeo memoriam in nobis, si possumus, ipsis extinguamus, ea & eloqui alteri, & novam rursum in cognitionem, sic quasi novam in lucem reproducere? heu! quàm pudibundâ fronte, quàm tremulâ linguâ, quàm mæstum suspirantibus labiis, quàm pudore suffusis genis id fieri necessè! verè grande Confessio onus, & dura res confiteri! Da mihi puellam cæterà probam, & honestam: sed heu! illa, illa proba, trahente foris diabolo, titillante intus libidine, moroso consensu in mollitiem turpiter incidit; aut etiam invitante prætereà libidinoso scurrâ, & alliciente loci solitudine, victrici concupiscentiæ (cui nempe ex novaturientium laxissimo, & contra Concilium Tridentinum falsissimo effato resisti non possit) semel succubuit infelix. Da mihi matronam optimæ totâ urbe famæ, & honestissimam vulgò habitam, & erat sanè cur haberetur; & illa tamen, ut est proclivis in malum natura nostra, absente diutiùs marito, solitudinis pertæsa reditum dum  
 sus.

suspirat ; ecce tibi , communis familiæ amicus peregrè ad-  
 venit , lautè pro amicitia hospes excipitur ; nihil hacten-  
 nus mali , sed periculi plena omnia ; ecce media interven-  
 nit concupiscentia , illa , illa victrix , impuros ignes afflat dia-  
 bolus ; hospitalitas transit in libidinem , & , quod mediâ  
 ante horâ vel cogitare horruisset , reipsâ totum violat ma-  
 ritalem perfida adultera : sed mox , ut non erat de mere-  
 tritio grege , vix admissum est crimen , & jam erubuit ,  
 & , quod semel admisit , millies damnavit. Eheu ! quæ  
 deinde in puella illa , quæ in hac matrona interna lucta ,  
 quàm anxia , quàm assidua ? dum & facti piè pœnitet ,  
 & ad Christianam Confessionem assurgere tentant pœni-  
 tentes feminæ ; & interim obluetur pudor , gravis hostis ,  
 revocat naturalis verecundia , ipsa pertinaciter resistit natura ,  
 & turbatus intra viscera ebullit sanguis ; vident , ut expalles-  
 cant ? ut lucem fugiant , & hominum frequentiam , ut solæ  
 in obscuras latebras recedant ? & in hac solitudine tamen ,  
 & in his tenebris adhuc se erubescant. Ægras suspicantur  
 Domestici , solantur Parentes , Sorores , Conjux , sed re-  
 fricat turpem memoriam ipse Domesticorum aspectus , &  
 importunum solatium ; & cujus facti solæ ipsæ sunt testes ,  
 ejus omnes putant esse conscios ; ergo in solitudinem ite-  
 rum , iterum in latebras , ubi suis se lachrymis , & gemit-  
 tibus exedant. Vah ! hæc de me fateri crimina ! nec alie-  
 no ore , sed proprio fateri ! & quid Sacerdos cogitabit ? &  
 hujus ego vultum ultrâ , & oculos subire poterò ? & non  
 emori

ET INFELIX CONCORDIA. 241

emori toties videbor, quoties aut à me ipsum, aut ab ipso videri me credam? & ut me non videat, quæ de me etiam absens non suspicabitur? dum hæc cogitationum turbæ noctibus integris insomnes animas fatigant, dum fauces præcludit dæmon, ne suum ipsæ dedecus umquam eloquantur, dum cum dæmone conspirat ingenitus pudor; non deserit miseris miserator omnium Deus, & cælestes gratiæ suæ motus benignus emittit: optimè: recreantur paululum (tanta est Divinæ gratiæ vis) pectus iterum, atque iterum percutiunt, & semiapertos oculos ad cælum prope aufint tollere; in genua provolvuntur, & reconciliari suo Deo, quovis velint commodi dispendio: tenella membra ciliciis, & voluntariis ejusmodi afflictionibus crucient, excusum corpusculum jejuniis macerent, ipsum sanguinem, uti nunc lacrymas, & vitam profundant, quidlibet demum patiantur, dummodo confiteri necesse non sit.

Et verò Trium-Viri, rigidi pœnitentiarum amatores, si æqui estis rerum æstimatores, id mecum statuetis, peccatorem vix esse ullum, qui non pœnitentias malit subire quasilibet, ipsamque adeo confessionem maximæ gravissimæque instar pœnitentiæ non habeat.

Instat interim fortior è cælo vis; se suumque pudorem christianâ fortitudine superent, & quod facere impiè contra Deum non puduit, id pro animæ salute utiliter, & piè confiteri non pudeat: vincit gratia, abstergunt lacrymas, confiteri certæ sunt, surgunt, ad templum procedunt,

H h

sub-



subinde tamen domum respectantes; ter sedem confessionalem tangunt, ter revocantur, & ipse indulgens animo pes ad eundem tardus, & tarda ad confitendum lingua est: heus infelices! jam eratis in portu, & procellosum mare sic miseræ repetitis? agite, expectat vos in Ministro & Vicario suo ad veniam, & amplexum paratus Deus, securitas Conscientiæ, peccatorum venia, Gloria æterna, Dei amicitia uno tantum constabunt verbo, difficili illo quidem, sed uno tamen: agite semel tantum, quantulum est quod exigitur? semel tantum dicere opus, tormenti id quidem genus est, sed perbreve & nisi recessissetis, jam dictum fuerat; agite, semel dicite, & æternum licebit salubriter tacere, imo & oblivisci. Audimur, redeunt alacriores, tantum potuit una hæc, & brevis vox *semel*: salva res est, à gemitu incipiunt, desinunt in lacrymas, & jam confessæ sunt, felices, quæ semel eloquendo æternum, & apud homines silentium, & apud Deum oblivium suo crimini induxerunt.

Nunc tuam Lector fidem! si in Macarium illæ, si in Gümmarum incidissent, putas inducendas fuisse, ut sæpius idem confiterentur, & non potius obdurandas ut nunquam? putas reversuras fuisse in templum ad animæ salutem, & non potius desperabundas domum ad laqueum? quæ enim eorum vox, quæ eorum est oratio? age & pudorem superare assuesce, qui sæpius superandus erit; semel peccasti, at non semel erit confitendum; quod semel admisisti, centies erit repetendum: quid ita? si in idem peccatum,

tum, quod multis hodie cum lacrymis confiteri paras, pro humana corruptæ naturæ fragilitate denuò relabaris, ipsa hodierna irrita est confessio, & repetenda; si, excusso quantumvis diligenter Conscientiæ sinu, quidquid occurrerit dubiè aut certò, candidè totum dubiè, aut certò, uti habes conscientiam, elocutus fueris, ex ignorantia intereà juris naturæ invincibili, nec alio sensu vincibili, quàm quod absolutè vinci potuerit saltem per gratiam, peccasti, & id tu peccatum nunc taces, non voluntariè, sed ignorantè, quia scrupulum ejus, quia conscientiam non habes; nil proderit confiteri, si deprehendas postea jus naturæ à te quantumvis ignorantè violatum; repetendæ confessiones omnes, quia irritæ omnes, omnes fuerunt sacrilegæ: repententur igitur; at si & post reiterationem illam novi aliquid ejusmodi occurrat, reiterationes omnes sunt denuò, & ita tertio, sapius, imo si ad mortem usque ignorantia aliquid adhæserit, restant peccata, non nisi sacrilegè confessa, æternis pœnis luenda omnia, nulla enim valida fuit durante hâc ignorantia, aut esse potuit contritio; nulla fuit valida, aut esse potuit confessio; & frequens ille, ac toties repetitus Sacramenti usus non delevit peccata, sed sacrilegiis cumulavit; age ergò, pudorem omnem assuesce vincere, semel peccasti, non semel erit confitendum; non semel illud pudoris martyrium subeundum, quod semel admissum centies eloquendum est; nullus confessionum finis, nec ulla tamen post eas omnes reiterationes securitas, & quis omnem ignorantiam

juris naturæ, tam varii, tamque in centum materiis implexi à se depulsam esse temerariè confidat? & ut id de se præsumat pœnitens, quis de pœnitente suo Confessarius moraliter id certò judicet, quod ne probabile quidem ulli Probabilistæ fiat? tam certum ergo erit moraliter, neminem esse dispositum sufficienter ad absolutionem, quàm certum erit, neminem ab omni omninò ignorantia juris naturæ esse immunem. Cui ergo demum impertiri possit absolutio? aut quis tam sit præsumptuosus, ut cum tanto sacrilegii periculo confiteri audeat? tuam igitur fidem Lector! poterit hæc tam blanda vox, & tam suavis de Confessione sententia (est autem hæc, ut vidimus, partim Macarii & Gummari, partim ex eorum placitis per necessariam consequentiam sequitur) poterit, inquam, resiliens ad Sacramentum revocare, & non potius sponte etiam & alacriter accedentes avertere? Nota ergo diligenter artificium, & noxium, nec contemnendum cuniculum, materiæ sacramentalis simul ac formæ destructivum; confessionis illud tam grande, ut vidimus, & experimur, onus novis ad desperationem usque, & animarum carnificinam oneribus immites cumulant; atque ita paulatim intelligitur, quod in ipso paragraphi limine obscurius videbatur, ad nullitatem Confessionis per tot etiam, tamque frequenter iterandas confessiones per cuniculum subdolè perveniri. Nimis scilicet quàm verum est Salomonis Proverbium *qui vehementer emungit elicit sanguinem* Prov. 30. v. 33. quam gnomen rigidis  
 Con-

ET INFELIX CONCORDIA. 245

Confessariis opportunè aprat Cornelius à Lapide ; & possumus filii meminisse , dum Patris verba legimus ; nec historiam opinor Reformatores illi nostri è sacris Codicibus utilius ruminarent aliam, quàm quæ de Roboamo habemus 3. Reg. 12. ubi id ante omnia vellem secum attentè exigerent, quæ denique causa fuerit tanti, tamque assidui schismatis, quo & à Roboamo simul, ac domo David decem tribus irreparabili damno defecerint ; ne & suo ipsi rigore, si pergant, id umquam efficiant, ut ..... sed ad alium anfractum potiùs nos eamus.

ARTICULUS II.

*Secundus hujus cuniculi anfractus circa  
Sigillum Sacramentale Confessionis.*

**N**Ullus in militari expeditione obsessæ urbi fatalior cuniculi locus, quam, in quem omnes ambages & anfractus desinunt, & qui recipiendo militari pulveri destinatus est : nec ullus sacramentalium cuniculorum Confessionis fatalior anfractus, quàm qui infirmando Confessionis Sigillo paratur ; nisi id plus fortè est, quàm cuniculum fodere, & potius accensum fomitem ipsi pulveri admovere ; & verè actum est profus de Sacramento, si hanc semel flammam Sacramentales cuniculi conceperint, &, uno convulsa impetu, in auras ruinosa abit Sacramentalis Confessio.

Res.